



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

De Tribus monachis mortuis inuentis á piscatoribus Pharonitis. Capvt CXX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

uiuificus sanguis magni Dei & Saluatoris nostri
Iesu Christi.

3 *Habes ex hoc loco, monachum non debere dimittere
institutum suum. Quod si facit, valde peccat.*

*De dæmone, qui in habitu monachi profectus est
ad cellam cuiusdam senis in Raythu.*

C A P V T. CXIX.

DICEBAT nobis Abbas Eusebius Presby-
ter eiusdem monasterij Raythu, cum ad
illum venissemus, quod dæmon in habitu
monachi profectus fuit ad cellam senis, & cum
pulsasset ianuam, aperuit senex, & dixit illi: O-
ra. Dæmon autem ait. Et nunc & semper, & in
secula seculorum. Amen. Senex autem iuratus di-
xit: Ora. Et dæmon similiter ait: Nunc, & semper,
& in secula seculorum. Amen. Tunc senex se-
dit: Gloria patri, & filio, & Spiritui sancto, etiam
nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.
Hoc autem cum dixisset senex, dæmon quali-
vum passus ab igne, euauit.

*De Tribus monachis mortuis inuentis à
piscatoribus Pharenitis.*

C A P V T CXX.

NARRAVERUNT nobis, Pharoni-
tæ piscatores, dicentes: Die quadam iuimus in
Buchrin trans mare rubrum, & cum pluri-
mos pisces cœpissimus, reuersi sumus, & ve-
nimus prope Perelium. Volentesque transire
in Raythu, prohibiti sumus à ventis contrariis,
ac maris tempestate detenti sumus per dies nona-
ginta. Venientes autem in quoddam maximum
desertum, inuenimus subter vnum saxum tres
Anachoritas defunctos, indutos collobijs de sibi-
no: me-

no; melotesque illorum iuxta eos erant positæ. Accepimus itaque illos, & duximus ad nauem, continuoque æstuans mare tranquillum factum est, & venti contrarij in oportunos conuersi sunt. Et transfretrauimus secundis ventis, & venimus in Raythu. Patres autem sepelierunt eos cum antiquis senibus.

*Vita, & mors Abbatis Gregorij Byzantini,
& alterius Gregorij Pharonite eius
discipuli.*

CAPVT. CXXI.

Narrauerunt nobis ipsius loci patres de Abbate Gregorio Byzantino, & discipulo eius Abbate Gregorio Pharonite, quod in insula quadam maris rubri manserint. Illa verò insula aquam non habebat. Sed ex continenti afferebant aquam sibi in vsus suos. Habebant etiam ratem, cum qua exhibant, & afferebant aquam. Quadam autem die dimiserunt ratem in mare, ligantes illam ad saxum quoddam. Nocte verò illa facta est vnda vehemens, ruptoque fune periit ratis. Manserunt autem patres illi non habentes, unde sibi aquam deferrent. Post octo itaque menses venerunt monachi de Raythu, & inuenerunt ambos mortuos. Inuenerunt autem & in dorso testudinis ita scriptum: Abbas Gregorius Pharonites viginti & octo diebus aquam non bibens defunctus est, ego autem dies triginta septem transegi, ex quo non bibi. Inuenimus verò ambos integros, sumentesque illos¹ sepeliuimus in Raythu.

¹ Ergo sepelire mortuos est opus pium.